

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 16. (*Neovidensis* 1806. Nro. 9.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Imperatrix Maria Theresia salutem dicit
Imperio Austriaco subjectis.

Ex Regno Cœlorum.

Elysiuni - Meum. Die Veneris 14. Febr. 1806 (*Neov.* 28. Jan. 1806.)

Dilectissimi filii!

Dies decima sexta Januarii erat mihi longe
jucundissima: illa in ipso Cœlo novum gau-
dii genus in me concitavit. O dilecti filii
meorum ditionum! filios vos appello; non
suntne vestri majores, vestri Patres sub meo
regimine educati? Non repetuntne illi memo-
ria felicia illa tempora, quibus ego illos ut
vera Mater gubernavi? Ita est, Amantissimi
mei filii! Vestra mater Maria Theresia hasce
ad vos mittit litteras, plenas solatii, quo
tunc affecta sum, dum intellexi; quo animo
vestrum optimum Imperatorem Franciscum,
meum nepotem, post toleratas tot, ac tan-
tas infelicis belli calamitates, Vindobonam
reducem acceperitis.

Non dubito, legeritis in nostris annalibus, neque me, præsertim initio mei regiminis, semper prospera usam fuisse fortuna; Me mei propinqui, & amici, ipsi etiam Germaniæ Principes, & extranei hostes persequabantur, ea de causa primos imperii annos in curis, & sollicitudine transegi, fere eo jam ventum est, ut in meis provinciis non invenirem securum locum, in quo partu levarem. Verum vix me, filiumque meum generosis Hungaris, nobili illi, atque magnanimæ nationi exhibui, illico illi fortitudinis, ac fidelitatis zelo animati, uno ore conclamarunt: *Vitam, & sanguinem pro Rege nostro, Maria Theresia!* Immortalis recordatio, quam ego ex animo meo effluere nunquam sum passa. Hæc eadem sensa meus nepos, Franciscus, vester Imperator fuisset expertus, si ad ea provocasset; sed enim considerans tristem improvisorum eventuum statum, & inde secururam vestræ felicitatis perturbationem, maluit de jure suo cedendo pacem conficere, quæ vobis diurnam sub benigna, & paterna ejus regni administratione allatura est tranquillitatem. Heroica tempora non sunt semper felicissima, Historiæ enim paucos memoriæ produnt Heroes, qui suos populos beatos reddidissent. Quodlibet regnum sua habet & felicitatis, & infelicitatis tempora. Ludovicus XIV. ob præclare facta Magnus appellatus, coactus est cum suis Nobilibus, ad arma descendere,

Princ
siis i
nam
a po
fortu
rum
lia v
erga
mum
mis
anim
bant

ropa
auct
burg
ment
ad I
sex
in n
ter I
jure
meu
erud
apuc
vola

dom
esse
Osm
rum
Aust

Princeps enim Eugenius armata manu Parisiis imminebat. Carolus VII. urbem Parisianam nonnisi post fatales undeviginti annos a potestate Anglorum liberavit. Talibus fortunæ vicissitudinibus plena sunt historiarum monumenta. At vero talia facta, qualia vos, dilectissimi filii! inconcussæ fidei erga vestrum Cæsarem, & regnantem domum, non tantum felicibus, sed infelicissimis etiam temporibus præstitistis, quæ sola animum sincere, & ex vero addictum probant, rarissima occurrunt.

Felicissimum erat pro tota christiana Europa, sed potissimum pro vobis illud omen, quo auctor Regiæ nostræ stirpis Rudolphus Habsburgicus nomen *Benigni* obtinuit. Cognomentum hoc, tanquam præcipua virtus usque ad Imperatorem vestrum Franciscum II. per sexcentos prope annos hæreditarium mansit in nostra familia. Nunquam fuit malus inter Habsburgicos Princeps. Non possumne jure merito vobis in memoriam revocare meum gubernium? Hæc virtus, in qua vos erudivi, hodie adhuc vos facit, & quidem apud ipsos etiam hostes, nationem benevolam.

Non est jactantia, asseverare, meam domum longe melius, atque alias gentes, esse meritam de christiana Europa. Furor Osmanorum, aliorumque orientis barbarorum semper oppugnabat Austriam; Regiones Austriacæ erant propugnaculum, quod tutari

debebat christianam Europam; Principes de domo Hubsburgica in eo assidue armati excubabant, ut omnes invasiones, & communem depopulationem averterent. Forsitam jam Regia Solimanorum, Sultanorumque ad Rhenum erecta staret, si Austria omnibus viribus, & cum neglectu propriæ felicitatis iisdem non restitisset.

Sed etiam mea domus nullum regnum vi armorum occupavit; Via leniore per matrimonia, & cognationes eluctata est ad illam authoritatem, qua inter Status Europæos pollebat. Ipsa ego primis turbulenti mei regiminis diebus Bavariam meo hosti eripui, sed illico reddidi, ne mihi fiat exprobratio, me alieno inhiare patrimonio. Inde natum proverbium: *Bellagerant alii, tu felix Austria nube.*

A tempore Imperatoris Caroli V. & Regis Galliarum Francisci I. domus mea concertabat cum Gallia de principatu politico, altera conabatur alteram in statera populorum superare, Tametsi autem multa gesserimus bella, per quæ Gallia imperii sui fines egregie protulit, semper tamen species quædam æquilibrii inter nos perseveravit. Eo rem perduxit, ut mirantibus cæteris Gentibus, iniretur inter nos fœdus, ex quo profluxerant aurea tempora pacis, qua Germania, aliæque provinciæ quam diutissime fruitæ sunt, sed quæ, proh dolor! præsentis bello iterum — forte in longius tempus, interrupta est.

In hoc politico rerum statu stirps mea sollicite pangebatur fœdera ad conservandam porro quoque suam authoritatem. Pax quidem Lunævillensis eam iterum instauravit, at propterea paulo post in tota Europa fax belli accensa est. Nemo facile admittit, ut repente de primo gloriæ, & honoris loco dejiciatur. Novum recrudit bellum, quod excepit Pax Posoniensis, & reditus Vindobonam vestri Imperatoris. Cum hac pace cessant penitus antiqui nexus, & omnia contactus puncta Galliam inter, & Austriam evanuerunt; spatium duorum novorum regnorum interjacet inter utramque, dirimitque earum viciniam. Causa etiam æmulationis sublata est, & ideo vestrum Imperium Austriacum in hoc tristi rerum situ eo minimum poterit gaudere beneficio, ut vestra quies ita cito non perturbetur, nullæ enim intervenient causæ, quæ vos periculo belli involverent.

Longe aliter se res habet cum Germania septemtrionali. Infestissimus Galliæ hostis est Anglia, quæ licet insulam formet, finitima tamen est provinciis septemtrionalibus. Galliæ itaque politica in eo enitetur, ut easdem a suo capitali hoste avertat, talesque iis fient propositiones, quibus non mediocriter consternabuntur. Mei dilecti filii! vobis probe notum est, nos ex fœderibus nullum unquam traxisse commodum. In bello seditionis gallicæ, ad quod vos

initio tantum, velut subsidiariæ copiæ venistis, fuistis ab omnibus deserti, tamdiu tamen illud continuastis, usque dum Gallia a suo furore per experientiam reducta, mitiora assumisset principia. Qua re factum, ne malum illud ultra serpsit. Quapropter ipsa Gallia vobis grates agere debet pro vestra in bello perseverantia, illa etenim interea perspexit instabilitatem diversarum suarum imperii formarum, & meliora est amplexa.

Ex consideratione initorum fœderum memorabilis deducitur veritas, videlicet: Domui Austriacæ fœdus Anglicum semper erat noxium, Anglia autem tunc tantum passa est detrimentum, quando Austria recessit ab ejus societate. Ita quondam amiserat Americam.

At nunc omnes isti respectus finem acceperunt; novæ necessitates, & locorum situs pariet alios. Dilecti filii! vos diu fruemini pace; poteritis vigentium in Europa controversiarum pacifici esse spectatores, — pro omni tamen casu armati. Augusta vestra stirps regnatix (sunt omnes mei nepotes, meæ deliciæ) se in adversa fortuna ad bellandum perpolivit, omnes de hac domo Principes sunt egregii milites. In conspectu, & inter immortalia Archiducis Caroli facinorosa educati promittunt heroica tempora, quæ multas provincias ex infantia extractas ad summam amplitudinem provexerunt. Infelix

Æne
batu
reru
Nov
pus.

fili!
iatio
recip
vox
mem
quit

ricar
pate
Dec
disse
posi
tuit,
tion
dis f
& re
prop
cani
ut v
arum
quan

Æneas condidit urbem, quæ orbi dominabatur; Heroem Carolum non nisi imperiosa rerum adjuncta avocarunt, a victricibus factis. Novus cum tempore poterit aperiri campus.

Hæc habebam, mei dilecti, & fideles filii! quæ vos scire vellem; hæc est consociatio, quam vobis de cælo, in quo merita recipio præmia, dare possum. Est hæc vox optimæ vestræ matris; Heu! repetite memoria felicia illa tempora — Ita vos alloquitur vestra Maria Theresia. Valetote.

Miscellanea.

Inter Hispaniam, & Rempublicam Americanam enatam esse dissensionem animorum patet ex oratione, quam Præses Inserson 3. Decembris dixit. Ita autem habet: Nostræ dissensiones cum Hispania nondum sunt compositæ. Res ultimo bello raptas non restituit, imo nova intulit detrimenta; Propositiones de limitibus circa Louisianam definiendis factas rejecit; territorium novæ Aureliæ, & regionis Mississipi hostiliter invasit. Quapropter necessarium esse existimavi, americanis copiis ibidem excubantibus præcipere, ut vim vi repellerent. Pars illatarum injuriarum est ejusmodi, ut non possit aliter, quam armis averti. Tempus est, ut urbes nost-

ras, & portus contra omnes violentias tutos præstemus. Et reipsa omnia hæc loca tormentis sunt instructa.

Mediolano de 13 hujus scribitur exercitus gallicus jam intrasse Regnum Neapolitanum, sed quo nam successu non constat. Exercitus iste sub imperio Generalis St. Cyr componitur ex 4. divisionibus, quæ 45. milia armatorum efficiunt. Italica divisio, quam ducit Generalis Lechi, primum constituit agmen, & jam 24 hujus Bononiam usque pervenerat, in vicinia hujus urbis ponentur castra subsidiariorum copiarum 30 circiter millium. Generatim videtur esse decisum, ut omnes Generalis Massena legiones revertantur in Italiam conjungendæ cum Generali St. Cyr.

Anglicum Gubernium serio urget Gallos, ut tandem permutentur bello capti. Hæc res poterit gravibus tractatibus dare occasionem. Simili enim modo etiam pax Ambianensis initium cepit. Putatur quoque Pittius, qui constanter ægrotat, se munere suo abdicaturus. Nova hinc iterum spes pacis; Nam in Anglia sancte observatur ille mos, ut Minister, qui bellum indixit, pacem non faciat.

N

De

Elysiu

Bella

Ho

posit

chid

cher

anna

appe

dina

attul

Cast

Ex

adep

tueri

reru